



Sanctus Berardus ex illustri comitum de Smersenburg natus, ab ineunte aetate liberalibus artibus operam dedit, & magnam in hys eruditionem nactus est. postea animum ad Theologiam applicuit, & plurimum in ea profecit. Itaque Otto tertius Cesar eum ad se uocauit, atque sacris concionibus praefecit. Erat enim insigni pietate & prudentia praeditus. Vnde cum sedes Hildesheimensis uacaret, eius loci episcopus decimus-tertius electus est. Eius etiam consilio Otto usus, primos electores imperij constituit. Hic Berardus suam Ecclesiam miris modis euexit & ditauit, atque canonicis sua beneficia constituit. Pre-

terea ex suis bonis S. Michaelis monasterium fundauit. quamuis autem in natura benignus & pacificus esset, tamen cum Vuiligiso archipræfuli Moguntino plurimas contentiones habuit. Idque ob monasterium Gandeshiem renowatum, quod suæ ditionis hactenus fuerat. Nam eius loci abbatissa Ottonis Cæsaris soror eò Moguntinensem uocarat, ut nouum templum dedicaret.